Quelle: https://manuscripta.at/?ID=925
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Temporalibus et spiritualibus gratiam prosperitate feliciter mereamini. Dilectos filios nostros . R. Abbatem et fratres Mellicen(ses) Cenobii honoretis ac diligatis et nullam eis molestiam irrogetis vel ab aliquo permittatis inferri. Nos siquidem personas vestras sicut in beati petri servitio perseverantes paterno amore complecti volumus et nunc petimus vestras carissimum filium nostrum Imperatorem Lotharium cum ipsum nos videre contigerit ut eciam vobis Justiciam conservet libenter et effectuose rogabimus atque in hoc et in aliis vos exaudire et honorare parati sumus. Datum pisis Sexto Idus Januarii

Hec Cronica subscripta extracta est de verbo ad verbum ex libro Capitulari Monasterii Newnburgensis pergameneo Rubeo coreo tecto ac clavis auricalceis pinis decorato qui liber post Rubricam Incipit Rome natale sancti Almachii etc. Et sic finit, Cum completus est quod est expertum etc.

Subscripta cronica etiam habetur de verbo ad verbum in cronica fratris Martini penitentiarii pape ex libro albo papireo asseribus ligato clavis auricalceis pinis decorato Monasterii Neumonte ordinis Cisterciensis extracta qui liber incipit: Incipit Cronica fratris Martini ordinis predicatorum etc. et finit Cronica vero Sextam Septimam ascendendo ad centum etc. et conscripta sunt Centesimo quinto et Centesimo sexto ac Centesimo septimo folijs

Leopoldus Inclite memorie quondam Marchio austrie ex primis et Justus et virtutum omnium meritis pollebat deus omnipotens Agnete Imperatoris Heinrici quarti filiam Gemma virtute micante sibi coniugem sociavit. Hii sicut unum erant corpore Ita et quasi uno spiritu que dei fuerant cogitabant. Cum igitur ob honorem dei et animarum suarum salutem ecclesiam construere et dotare decrevisset et locum pro construenda ecclesia deo placitum sive ex aliquo divino Judicio affectassent statim sub quieto et tranquillo aere surgens ventus validus flameolum capiti prefate Agnetis avellens in longinquum suo impetu deportavit. Deinde lapsis novem annis Marchio predictus venationis actu exiens flameolum capiti sue coniugis avulsum ut predicitur super frutice Sambuci Invenit integrum et illesum ex ut bonorum credulus pro divino Judicio